Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1752) Lizy 1452

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 14. Februarii.

M. NICOLAO BRUNEL DE LA CARLIERE, Doctore Medico, Præſide.

An Aſciti profligando liquores acidi?

CORPUS humanum ſolidis conſtat, & fluidis partibus; ſolidæ, oſſa, cartilagines fundamenta præſtantis illius ædificii; fluidæ, ſanguis, ac ſpiritus. Sanguis, cum purus eſt, nativæ fermentationis ope, vegeto cordis motu, ac inſigni, quâ pollent arteriæ, reſiliendi virtute quocùnque pellitur, partes perbellè nutriturus: cum impurus, omnia circumfert malorum ſemina, eaſdem brevi vitiaturus. Ad puri ſanguinis elaborationem non minùs conferunt aër, & chilus, quam cibus ad chilum; ex cibis diverſâ prædictis indole conficitur in ventriculo fermenti peculiaris ope lacteus hic liquor, qui ſubindè cor ingreſſus, & pulmones ſanguis fit, variis, quos peragit, circuitibus; hinc non unâ, ſed diverſâ conſtatus parte ros ille vitalis; prior fibroſa eſt, quæ blandâ mollique conſtans materiâ per ſe facillimè concreſcit; altera ſeroſa, quæ rursùs non eſt ſimplex, ſed plurimo ſale fœta, à quo ſeri concretio, quotiès caloris ope ſuperflua lymphæ portio diſſipatur: utraque pars ſanguinis, ſi juſtâ ſalium proportione conditur, parens eſt ſanitatis; ſi cotumdem exuperantiâ gravatur, rea eſt mille morborum: è ſalibus (juxtà Chymicos) duo ſunt oppoſita, acre videlicet, ac acidum; acre, dum præpollet in vaſis, diſſoluto ſulphure ſanguinem laxat, & adauget fervoris impetum; acidum, ſi dominetur, cruoris partes irritit & implicat, ejuſdem compagem reddit ſtrictiorem, ſerique ſecretionem promovet:

GRAVE malum, quod hydropis nomen obtinet, aqua inter cutem eſt; tria illius numerantur genera; cum rebellibus turget flatibus inteſtinorum cavitas, Tympanites nuncupatur; durus hic venter, ac renitens, ſi percutiatur, ſonat more tympani; nec rarò ſpontè murmur edit, & ſtrepitum; hic quòque ructus non infrequens ægrotantis ſolatium mentiturus; pedum tumor, aut nullus, aut mediocris; ventriculi languor, reliqui corporis maciem paulatìm pariturus; in Anaſarcâ corpus tumore albo, mollique grandeſcit, pedes potiſſimùm, veſperi, ubi per diem declives fuerunt, molem poſt debitum quietis ſpatium manè depoſituri: is tumor, ſi premitur, foveam, quæ tardè impletur, habet, impreſſi digiti veſtigium; ventris moles tangenti major non percipitur, quam aliarum partium, ſervatâ proportione; corpus æqualiter laxum & molle, cujus vires leviſſimo ſtranguntur exercitio; pulſus creber adeſt, parvus, ac debilis; tot malorum parens eſt ſeroſus latex fuſus è vaſis, & intrà muſculorum interſtitia carnium, cutis, glandularum, membranarumque poros depoſitus; Aſcites tertium eſt hydropis genus, in quo ſpatium, quod peritonæum inter, & inteſtina vacuum eſt, aqua repletur, unde venter totus intumeſcit: is, ſi in uno percutitur latere, in altero ſenſum præbet humoris intùs fluctuantis; humor hic, licet perſæpè uberrimus, modò intrà abdominis ſpatium totus includitur, modò pars ejus aliqua, aut propter corporis exercitium, aut propter facilem prolapſum in ſcrotum delabitur, femora, & pedes tumidos brevi redditura; modo harum cè partium cavitatè nimìs oppletâ, vitioque ſanguinis adaucto ſtillat humor in pectus, tuſſimque concitat, viæ lethi ſemèl calcandæ ferè ſempèr prænuntiant; omnes corporis partes, dempto ventre, extenuantur, ac veluti liqueſcunt; his accedunt ob aquoſum ſanguinem, languoremque ſpirituum pulſus parvus & frequens; ob impeditum diaphragmatis motum, ſpiritus difficilis; ob lympham diutiùs ſtagnantem intrà cavitatem abdominis, urina pauca, & flammeo fœdata colore, linguæ ſiccitas non levis, ſitis tanta, ut quo plus potæ, plus ſitientur aquæ, ſalinis ſeri particulis ſtomachum ferientibus.

FALLITUR, qui frigidam Jecoris intemperiem putat ſempèr Aſcitis cauſam: Jecur hydropum nonnumquàm vitii purum comperias. morbus hic aliquàndo incipit per ſe, nec ulla ferè dat ſigna ſui prænuntia; in pueris ob lac malè ſubactum venas obturans lacteas; in ſenibus ob ductus lymphaticos nimio diſruptos conatu, aut uberiori ſeri copiâ. Aſcitem non infrequènter progenerant immodica ſanguinis profluvia, nec non inflammatio Jecoris, aut cæterorum viſcerum ſcirrhi parens calamitoſiſſima; unde ſeroſus latex in abdominis capacitatem effunditur, non ſecùs ac effluit idem liquor inſtà cutem cranii, ſi jugulares ligaveris venas exteriores: Aſcites quòque vetuſto ſupervenit morbo, ut Febri quartanæ, Tetero, ſolitis naturæ vacuationibus præter modum compreſſis, potiſſimùm menſibus, ac hæmorrhoidibus. Rectiùs cenſet, qui ſalem acidum ſæpè ſæpiùs agnoſcit Aſcitis authorem; is præpollens in ſanguine irritit partes ipſius fibroſas, eaſque tàm ſtabili jungit connubio, ut ſerum ſoliro, quem occupabat anteà, ſpoliatum loco cogatur in vaſis ſecretum ſupereſſe, pari fere modo ac ſerum lactis, aut ſponte acefcentis, aut quàdam extranei acidi portione fœti ſejungitur à partibus caſeosâ, & butyroſâ ſimùl permixtis: ab illo ſtrictiori cruoris contextu, quem parit ſal acidus exuperans, deprimuntur adeò partes tenues, ac ſpirituoſæ, ut remiſſiori ſanguis donatus fermentatione debitum robur muſculis non impertiatur, nec præ nimiâ craſſitie exiles viſcerum, ac potiſſimùm Jecoris ductus facilè permeans in ipſis hæreat, tumorem ſcirrhi nomine inſigniendum non raro paritutus; ut idem ſanguis debitâ ſpirituum copiâ arteriarum fibras non recreet, undè earum oſculis intrà abdominis cavitatem relaxatis, ſerum illic effunditur ventris molem paulatìm adauctuum; ut alienam propter, quibus inſtructæ ſunt ejus particulæ, figuram, ſpirituum generationi in cerebro perficiendæ nequeat inſervire, nec in renibus ſeroſi laticis favere ſecretioni: hinc, foraminibus glandularum percolationi dicatarum partìm obſtructis, perpaucæ urinæ vix permittirur exitus:

CUI porrò fert animus perfectam Aſcitis obtinere curationem, is veram morbi cauſam, viſcerumque abdominis ſtatum maturo perpendat animo: viſcera, ſi benè morata, nec ab acriori labefactata ſero, ſi pectus tuſſi vacat, ſi medicaminibus epotis mutatur urina, venterque fit mollior priorem duritiem brevi non adepturus, ſi nullum cibi faſtidium, eoque aſſumpto nulla hydropi moleſtia eſt, tutò ſatis laborat; modò periti non negligat conſilium Medici; modò propriis utatur ille medicamentis, nec in copiâ ciborum peccet, nec in delectu: in medicaminibus inſtituendis geminum ſibi proponat finem Medicus; humorem, ſi fuſus è vaſis, eliminet è corpore; ejuſdem, ſi denuò generetur, impediat procreationem. Exundantes vacuant humores, quæ ſunt levioris, & fortioris armaturæ purgantia, & quæ concitant urinæ ſecretionem; his accedit non infrequens abdominis punctio, raro, niſi morbo incipiente, ægrotanti proficua: inter ea, quæ movent urinas, acidus & acer ſales commendantur; acidus particulis conflatus acutis, ac tenuiſſimis in corporum foramina, quibus permiſcetur, ſeſe inſinuat, ſolidorum diſſolutionem, fluidorum concretionem productura: horum effectuum diſſimilitudinem facit varia, quibus hæc conſtant corpora, partium diſpoſitio; illæ cum duræ ſint, rigidæ, nec flexiles ab acido debitâ diluto phlegmatis copiâ franguntur, ut à cuneo, disjunguntur que à ſe invicèm, adeò ut ex iiſdem minutìm conciſis naſcatur novum corpus, re ipsâ tamèn à priore non alienum; fluidorum partes, ut potè molles, ac balſami ad inſtar contextæ nullam ab acidis patiuntur diſſolutionem, immò tàm implicantur hæc acida, & adeò irretiuntur, ut ſolitum amittant motum, concretionemque pariant; ſic aurum, ſic antimonium diſſolvuntur ab aquâ Regiâ, ſalibus acidis impregnatâ; ſic aliundè lac cogitur ab acido, vel naturali, quo pollet, vel extraneo, quo perfunditur; undè ſeri ſecretio à concretâ reliqui lactis materie; indè patet, cur ſal acidus, licet urinas moveat, petennem humoris, a quo pendet aſcites, generationem nequeat inhibere.

IGITUR ſi ſanguis, & lac eaſdem patiantur alterationes, ſi ſal acris acido ſit oppoſitus, acria ſalia non minùs pr derunt Aſciti profligando, quam lacti concreto, ac vino acefcenti. Lactis concretionem quid fæliciùs amovet, quàm ſpiritus è ſale ammoniaco extractus, aut corticis peruviani, centaurii minoris, fumariæ, abſinthii ſale conditus liqu quid tutiùs emendat vini acefcentis vitium, quam melioris vini fæces, calx viva, piſcium gluten, catuli vivi; quæ non indoctâ ſreti experientiâ Caupones vino laboranti quotidiè permiſcent. Tot effectuum ſalutares cauſæ ſunt tenuiſſim m ſulphur, & ſal, ut aiunt, tùm volatilis, tùm fixus, quibus hæc mixta locupletantur. Sulphur undiquè diffuſum in dolio mollium, ex quibus conſtat, partium ope acumina vini acefcentis implicat, non ſecùs ac ſpiritus vini ſuperfluâ lymphæ copiâ ſpoliatus, & in idoneo vaſe per quoddam temporis ſpatium igni expoſitus actuoſum demulcet nitri ſpiritum, cui permiſcetur, ejuſque vires adeò inſtingit, ut ſubindè ſpiritus ille nitri dulcior factus, ſi parcâ manu, ſi ſagàci conſilio propinetur, internas amplìùs non rodat corporis partes, ſed corroboret, non incendium excitet in ſanguine, ſed motos componat fluctus; acris verò ſal, cujuſcunque naturæ ſit, acorem vini caſtigat ſecutiùs; is, ſi confundatur acido liquori, inſignem patitur fermentationem; tùm ſubtiliores ſalis acidi particulæ ſubeunt ſalis oppoſiti foramina, ibique non intricantur modò, ſed & obtundunturr, diſrumpunturque; hinc poſt abſolutum fermentationis opus, quales erant anteà, tales nunquam extrahes è corpore diſſoluto. Hæc, quæ miraris, opera in rebus Chimicis, ſimili propè modo in curandis morbis occurrunt. Sic medentur ſcorbuticis affectibus cochlearia, beccabungæ, & aquatici naſturtii ſalia; ſic lac, dùm ſerinos demulcet humores, arthritidis, & rheumatiſmi dolorem fraude fallit ingenioſâ; ità quoque contumacem tuſſim, & dyſenteriæ tormina paulatìm mitigat decoctum foliorum plantaginis, radicum althææ, & capitis papaveris; pariter immanes coercet capitis cruciatus, qui conficitur, potus è ſabâ Caffè, quo tàm ſuaviter utuntur Aſiatici, vel ex foliis herbæ Thé, Sinarum & Japonum deliciis; quos momordit vipera non abſimili ratione perſanat ejuſdem animalis ſal, aut caro. Demùm, quæ recurrunt, febrium motus ſedat cortex peruvianus; carcinomatis opitulantur parata è cancris, & viperis juſcula; & aſcite laborantibus mirificè proſunt ſal fixus geniſtæ, mille pedes, crocus martis, baccæ juniperi, radices aperientes, cæreſolii ſuccus, & lac aſininum; tot videlicèt medicamina ſalinas cruoris particulas nimìs evectas paulatìm deprimunt, obturata reſerant glandularum foramina, liberant ab infarctu meatus urinæ dicatos; sìcque vocatis in auxilium purgantibus, & effuſi in abdominis cavitatem liquoris provocant excretionem, & alterius generationi adverſantur.

Non ergò Aſciti profligando liquores acidi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

F.M.P. BIBLIOTHECHE

M. Petrus-Joannes Burette.
M. Ludovicus de Vaux.
M. Petrus Marais.
M. Carolus Contugi.
M. Franciſcus Vernage.
M. Franciſcus-Fauſtus Alliot.
M. Franciſcus Vezou.
M. Claudius Puylon.
M. Claudius Berger.

Proponebat Lutetiæ JOANNES MARIA BERTHOD, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.